





Deo dirigente nihil est quod arceat!

DISPUTATIO JURIDICA

De

COMPENSATIONIBUS.

Quam

Consensu & Autoritate Nobilissimi & Amplissimi Jctorum ordinis in celeberrima Salana,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Clarissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. VALENTINI RIMERI

PHIL. & J. U. D. & P. P. FAUTORIS

ac Præceptoris sui observandi,

Publico disputantium examini subjicit

ELIAS Reinbolt Gernspaco - Marchi-
Badensis.

Addiẽm 6. Martii.

In Auditorio Jctorum,

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M. DC. XIX,

1619, 4 4

COMPLIMENTARY
TO THE

DR. ALBERT RIMMEL
PHYSICIAN & SURGEON

LEIPZIG
THE GREAT STREETS
1871





DISPUTATIO

De

COMPENSATIONIBUS.



Quandoquidem ea, quæ necessaria & utilia, inq; foro & judiciis frequentissima, propter sui ipsius commendationem non negligenda; sed plenius juxta Jctum Paulum *in l. 25. pr. de liberat. legata.* Ulpianum *in l. 1. de suspect. tutorib.* Imp. Leonem *in Novell. 46.* sunt attingenda: Ideoque operæ pretium me facturum existimavi, si materiam COMPENSATIONIS, quæ teste Pomponio *in l. 3. de compens.* summè necessaria, utilitatem secum adfert maximam, dum lites minuit, *arg. l. 21. ff. si cer. pet.* æquum & bonum tuetur *§. in bonæ fidei. 31. I. de action.* inque usu, quod res ipsa loquitur, servatur frequenti, diligentiori animi trutinâ perpenderem, inq; ejus NATURAM & DEFINITIONEM, discutâ prius illius vocabuli HOMONYMIA & ETYMOLOGIA aliquantò pressius, cundo per CAUSAM EFFICIENTEM; MATERIAM seu OBJECTUM, FORMAM, FINEM, & denique EFFECTUS, inquirerem. Quod ut feliciter cedat, ex præscripto Justin. Imperat. *in l. 2. in pr. de off. præf. præf. Afric.* rem ipsam aggredior.

A 2

In

In nomine Domini nostri

JESU CHRISTI.

THESIS I.

Vocabulum *Compensationis* ad varia trahitur, & in jure nostro non unam habet significationem, Treut. *part. 1. disp. 25. th. 7. lit. B.* Interdum enim sumitur pro *Imputatione*, uti apparet ex *l. Gajus Sejus. 39. de pignor. act.* uti creditor pignus in compensationem pecuniæ mutuò datæ possidet, i. e. fructus ex pignore perceptos in sortem imputat, uti per *l. 1. C. de distr. pignor.* explicat Borch. *in tract. de compens. c. 1. n. 43.*

II.

Aliquando pro cujuscunq; *emolumentum perceptione*, in *l. 1. §. pacto. 3. ff. de pignor. & hypo.* Nonnunquam pro *deductione*, in *§. de illa. 2. de societ. l. si duorum. 42. in fin. ff. de action. empt.* ubi *lucri & damni compensatio* fieri dicitur.

III.

Non infrequenter pro *mutua delictorum Condonatione*, sic paria delicta mutuâ compensatione dissolvuntur in *l. 39. in fin. solut. matr. l. mulier. 7. ff. de act. rer. amota.* Sic *dolus cum dolo* compensatur, *l. si duo. 36. ff. de dol. mal.* sic *negligentia cum negligentia* *l. si ambo in pr. de compens.* Sic *injuria cum injuria* *l. 18. in pr. de injur.* Sic *mora debitoris cum mora creditoris* in *l. 51. in pr. de act. empt.*

IV.

Tandem in specie sumitur pro *quantitatibus*, *d. l. si ambo. §. 1. & §. quoties. ff. b. t.* sive, quod idem est, *pecuniariæ causæ*, *l. rei judicata. 15. §. 1. ff. solut. matrim.* aut *æris alieni*, per id, quod invicem debetur, usq; ad concurrentem summam aut quantitatem, imminutione, per *l. 1. ff. b. t. junct. l. 4. C. eod.* Borch. *d. c. 1. n. 39. in pr. & n. 41. in fin.* Quæ significatio ad nostrum propositum pertinet, & maximè in *tit. ff. & C. de Compensationibus* attenditur.

V.

Etymon compensationis à *compensando*, id est, *solvendo*, unde

unde etiam compensatio pro solutione est, *l. 4. C. h. tit. deduc-*
ctum esse, cuiuslibet notum est: Pendere enim seu pensare si-
gnificat solvere, ex antiquo æris adpendendi more; unde &
dispensatores, expensa, impendere, A. Aug. 2. emend. 8. item
pensiones & pensitationes pro æris præstationibus, Fest.
lib. 14.

VI.

Quemadmodum igitur singulorum est pendere, vel
pensare: Ita ambo conjunctim compensant, i. e. una pensant
invicem, & quasi in una lance appendunt, ut æqua præstatio
fiat, & quantum præstatur, tantum rependatur, *Donell. lib. 16.*
com. cap. 15. & ad §. 30. I. de action. num. 13. ut sit duarum rerum
æquilibritas, seu æqualis ponderis retributio, Petr. Greg. 21.
syntag. 22. n. 2. Leonhard Coppel de compens. cap. 1. n. 2.

VII.

DEFINITUR Compensatio à Jcto Modestino, quod sit
debiti & crediti inter se contributio. l. 1. h. t.

VIII.

GENUS compensationis est CONTRIBUTIO: con-
tribuere autem nihil aliud significat, quàm conferre, *l. 1. ad l.*
Rhod. de jact. non quidem mediante hominis facto: sic enim
contributio esset posterior compensatione, quod esset
contra naturam generis, ex qua genus semper prius est spe-
cie, per vulgatum Logicorum axioma; sed quemadmodum
ejus species, compensatio nempe, dicitur ipso jure fieri, *l. ve-*
rum. 4. l. 10. l. 2. ff. h. t. l. 4. l. ult. C. eod. ita etiam contribu-
tio illa ipso jure fiat, ut quod contributum, postea compense-
tur, *l. 40. §. 1. de minorib.*

IX.

Id quod ulterius etiam patet ex verbis hisce INTER SE,
definitioni insertis, per quæ Modestinus non intelligit contra-
hentes, pro ut Accursius interpretatur, & qui eum secutus est
Azo, reprehensi ob hoc ipsum à Borch. *d. c. 1. n. 13.* sed ut ipsdem
innueret, contributionem debiti & crediti inter se fieri, absq;
hominis facto, saltem vi & potestate legis.

A 3

X. A con-

X.

A cōsideratione generis rectā jam deveniendum esset ad reliqua definitionis verba, quæ materiam compensationis important; sed quia commodior locus sese offeret, ubi de materia acturi sumus, ideò illis sepositis, jam ad causam efficientem compensationis transitum faciamus, quæ duplex est, *Remota & Propinqua*.

XI.

CAUSA EFFICIENTIS REMOTA compensationis est *ÆQUITAS*, quæ merum jus compensationis inducit, *l. inter tutores. 36. ff. de admin. l. tut. in rem suam. 18. in pr. ff. h. tit. Alexand. Imp. in l. 5. & seq. C. eod. tit. & in l. 1. C. rer. amot. l. 48. d. R. V. §. 34. Inst. de action. Mejer in Colleg. Argent. ad tit. de compens. th. 3.*

XII.

Eaque vel *Naturalis* vel *Civilis* est, *Wesenb. in w. h. t. n. 2. Mejer. d. loco.*

XIII.

NATURALIS: tūm quia interest nostra, potiùs non solvere, quàm solutum repetere, *l. 3. h. t. l. 5. pr. ff. de fidejuss. & mand. cum fieri possit, ut per inopiam tuam, vel alia de causa inanis, fiat mea actio: tūm quia dolo facit, qui petit id, quod mox restitutus est, l. dolo facit. 8. ff. de except. dol. l. 173. §. ult. de R. J. c. 59. de R. J. in sexto.*

XIV.

CIVILIS: quia compensatio facit ad pluralitatem judiciorum, & litium evitandam, *l. 39. §. in refutatoriis. 1. ff. de Appell. l. 10. C. de judic. Quas diminuerè ad officium pratoris pertinet, ne fiat per plura, quod confici potest per pauciora, l. 21. in fin. de reb. cred.*

XV.

PROPINQUA compensationis causa sunt *Debitor & Creditor*, *arg. l. 1. h. t. quatenus ex ipsis debitum & creditum, & consequenter etiam compensatio dependet, non quatenus compensatione, jam ipso jure facta, utuntur.*

XVI. Nam

XVI.

Nam cum causa ordine naturæ prior sit suo effecto, per vulgatissimum Logicorum axioma, compensatio utique per suas causas antea constituta sit, necesse est, priusquam debitor & creditor illâ utatur, & ita ejus effectum sortiatur.

XVII.

Quia verò compensatio ipso jure facta planè nullum habet effectum, nisi à reo convento allegetur, *l. unusquisq. 2. ff. h. t. Borch. d. c. 1. n. 25.* siquidem judex vaticinari non debet, nec potest, reo aliquid vicissim deberi, *arg. l. quanquam. 7. ff. ad SC. Vellejan.* Ideò jam conveniens erit proponere, quinam debitores & creditores compensatione in effectum considerata rectè uti possint.

XVIII.

Utut verò tam ex parte creditoris, quàm debitoris ex natura vocis, per ea quæ dicta sunt in *thes. 6.* ad mutuam relationem possit intelligi compensatio: Tamen potissimum in jure & inter Interpretes disquisitio est ex parte debitoris, qui vel ipso jure, vel per Exceptionem, compensare suum debitum cum creditoris credito permittitur, *t. t. ff. & C. de compensat. Zang. de except. part. 3. c. 8. n. 13.*

XIX.

Et cum compensatio sit de genere permissorum propter æquitatem generalem, *de qua in th. 13. & seq.* quivis debitor non prohibitus illâ uti potest, *arg. l. 1. de his, qui sui vel alien. l. 28. §. 2. ex quib. caus. major. l. 43. §. 1. de procur. l. 1. §. 1. de testib.*

XX.

Quod satis superq; apparet *ex l. 2. ff. h. t. ubi Julian. Jctus* ait: Unusquisq; creditorem suum, eundemq; debitorem petentem submovet, si paratus est compensare.

XXI.

Ne itaq; de *Debitore fisci*, an regulariter compensare possit, dubitemus, faciunt textus expressi, *in l. idem juris. 12. l. fin. ff. h. t. l. 46. §. 4. ff. de jur. fise. Coppel. d. c. 4. n. 16. seqq.*

XXII. Nisi

XXII.

Nisi qualitas debiti aliud suadeat *per d. l. 46. §. 5. ff. de jur. fisc. l. 3. C. h. t.* de qua exceptione postea in materiâ agetur.

XXIII.

Quod de debitore fisci dictum, etiam in *debitore Reipubl. & Civitatis* receptum est ab Imp. Alexand. *in l. 3. in verb. Reipubl. & verb. Civitatis, C. h. t. Zang. de except. p. 3. c. 8. num. 18. seqq.*

XXIV.

Dubitarunt nonnulli, an etiam vinculo *Excommunicationis adstrictus* in eorundem censu sit habendus, qui oppositâ compensatione petentem submovere posset? sed omnem dubitationem adimit *c. cum inter 5. de except. junct. §. in bonæ fidei. 30. & penult. I. de action. & l. 2. h. t. l. 4. l. f. C. eod. Item per c. veritatis. 8. in fin. de dol. & contumac. j. l. si debitor. 4. qui pot. in pignor. habentur. l. 4. C. h. t. Tynd. de compens. art. 7. n. 24. seqq.*

XXV.

Idem etiam propter rationis identitatem de *Bannito* dicendum est, siquidem etiam nostro seculo cum excommunicato comparetur bannitus per ea, quæ habet Gail. *2. de P. P. cap. 1. n. 26.*

XXVI.

Ita tamen, ut non ipsi, sed alius eorum nomine compensationem opponat *per c. intelleximus. 7. X. de judiciis. & ea quæ habet Ampl. Præcept. D. Petr. Theod. in Colleg. crim. disp. ult. th. 4. lit. A. quest. princ. 2. arg. 2. §. quæ quoq; causa est.*

XXVII.

Siquidem non tantum suo proprio, sed etiam alieno nomine, quis compensare potest, puta si pro aliis agat aut conveniatur Coppel. *c. 3. n. 10.*

XXVIII.

Hinc non tantum qui simpliciter *Procuratores* sunt rei alienæ, sed & quibus mandatæ sive cessæ sunt actiones, compensare possunt, *per l. posteaquam. 21. l. in rem suam. 18. in pr. ff. h. tit. arg. l. sed si tantum. 13. §. 1. ff. de pactis,*

XXIX. Du-

XXXIX.

Dubitatur verò de his, qui ita in rem suam procuratores constituti sunt, an propter cessionem illam etiam ante litis contestationem compensare possint?

XXX.

Quod quidem negant Zang. *d.p.3.cap.8.n.60.seqq.* Treut. *p.1.disp.25.tb.10.lit.B.* & *Dd.vulgo in d.l.18.h.t.*

XXXI.

Sed affirmativa, quam defendunt Eujacius 24. *Obs. 37.* Duaren. *ad tit.C.hic Leonh.Coppel. de compens. cap. 13. num. 12. seqq.* & alii, nobis verior videtur per *l. procurator 55. de procur. l.i.C.de O. & A. l.25. de procur.*

XXXII.

Quemadmodum & cessionario, sive procuratori in rem suam agenti, opponi posse compensationem ejus, quod non ipse, sed principalis sive cedens vicissim debet, rationi juris convenientius est, per ea, quæ adducit Coppel. *d. c.4.n.9. & seqq.* Tynd. *de compens. art.7.n.4.*

XXXIII.

Quod de Procuratoribus hætenus propter administrationem dictum, idem etiam extenditur ad tutores, quod possint nempe compensatione uti non tantum adversus alios extraneos, nomine pupillorum, *arg. l.4. junct. l.ii. C.h.t.* Coppel. *d. c.3.n.25.* Zang. *de Except. p.3.c.8.n.65. seqq.*

XXXIV.

Sed etiam proprio nomine adversus pupillos ipsos, *l.i.S. præterea. 4. de contrar. tut. action. l.3.C. eod. tit.* Treut. *p.1.disp.25.tb.10.lit.A.*

XXXV.

Si verò tutor petat, quod pupillo debetur, non posse ipsi objici compensationem ejus pecuniæ, quam ipse tutor suo nomine adversario debet, responsum est à Paulo *in l. id quod. pen. h. t.*

XXXVI.

Rectè verò debitum, quod tutor, divisam tutelam administrans, contraxit, alii contutori objici posse, per rationem.

B

docet

Socet Papin. in l. item tutores. 36. ff. de administr. tut. Coppell.
d. c. 4. num. 15.

XXXVII.

Ratio diversitatis est; quia hinc unicum saltem est debi-
tum respectu pupilli, cujus tutelam plures tutores admini-
strant, ex quorum tamen persona debitum non dividitur, ut
compensatio impediri posset, d. l. 36. de administr. tut.

XXXVIII.

Ibi verò non est unicum, sed diversa; unum tutoris, al-
terum pupilli; quorù hoc tutori pupilli nomine petenti, rectè
quidem objicitur; per ea quæ dicta sunt in præcedentibus. Illud
verò minimè, cum sit alienum, cujus nulla compensatio, l. in
rem §. 1. l. cum militi. 16. pr. ff. h. t. l. 9. C. cod.

XXXIX.

Fidejussor quoq; quemadmodum omnes defensiones,
sive exceptiones, quibus reus principalis integro manente sta-
tu munitus est, habet & exercet, l. defensores. u. C. de Except.
l. 68. de fidejuss.

XL.

Ita etiam propter obligationis conjunctionem hac com-
pensationis exceptione, sive propriè, sive impropiè ita dica-
tur, Sebast. Medices, Tr. de compens. part. 2. quest. 19. num. 1. se-
rvari & defendere potest, compensando vel id, quod sibi, vel
quod principali reo debetur, l. verum, 4. junct. l. si quid. 15. ff. h. t.

XLI.

Sive reo Principali, antequam fidejussor daretur creditor
debuit, sive post; sive principalis reus solvendo sit, sive nò, pro-
pter generalitatem rationum & textuum in l. Exceptiones 7. de
Except. l. ex persona 32. ff. de fidejuss. l. defensores u. C. de fidejuss.
Zang. d. c. 8. n. 33. & n. 43. seqq.

XLII.

Sic & Correi, qui invicem fidejusserunt, vel socii sunt,
pariter compensant, quod alteruter eorum debet, aut ei debe-
tur arg. d. l. 5. ff. h. t. l. si duo 10. de duob. reis Tynd. d. tr. art. 7. n. 9.
Sebast. Med. p. 1. quest. 21. n. 1. & p. 2. q. 6. n. 2. Borch. d. c. 4. n. 20.

Secus

XLIII.

Secus est, ubi simpliciter sunt rei promittendi *per d. l. 10. de duob. reis*, quia unus ex duobus reis in solidum tenetur ex persona propria, non secus, ac si solus promississet, *l. 2. l. 3. §. 1. de duob. reis. §. 1. f. eod. tit. l. si rem. 31. §. 1. de novat. Gædd. de contrab. & com. stipul. c. 12. concl. 9. n. 82. Coppell. d. c. 3. n. 29. & seqq.*

XLIV.

De Patre & Filio, item de domino & servo intricatissima est quaestio, An & illi in debitis à filio aut servo respectu extranei contractis, aut econtra hi, in illorum debitis, compensationis remedio uti possint?

XLV.

Et quidem quod attinet filium emancipatum, res est expedita; quemadmodum enim pater pro filio emancipato & contra filius pro patre, non tenetur solvere, *l. 1. C. ne pater pro fil.* ita etiam compensatio debiti à filio contracti, non potest patri petenti à debitore objici, & contra, *arg. d. l. 1. C. ne pater pro fil.* cum compensatio nihil aliud sit, quam solutio, *l. 4. C. de compens. Zang. d. c. 8. n. 52. seqq.*

XLVI.

De filio verò in sacris parentis, & servo in potestate domini constituto, major est controversia, quæ sine distinctionis foedere dirimi & extricari commodè vix potest.

XLVII.

Aut enim pater & dominus agunt proprio nomine: & sic eis non potest opponi compensatio ex debito filii vel servi, nisi si peculium habuerint; hoc enim casu peculiotenus compensatio fiet, *§. praeterea 5. Inst. quod cum eo qui in alien. pot. l. 19. h. t.*

XLVIII.

Aut agunt ex contractu filii vel servi; tunc illis rectè objicitur compensatio debiti solidi, quod filius & servus vicissim debet, *l. si cum filiof. 9. ff. h. t.* quia agendo probant, quod gestum est, *Donell. 16. comm 15. lit. T.* & cum ipsi actione pro socio in solidum agant, æquum est, ut & ipsi ex eadem causâ compensationem in solidum patiantur, *Coppoll. d. c. 4. n. 6.*

XLIX.

Quamvis Creditor si ex contractu filii vel servi ageret, non nisi peculiatus consequeretur id, quod sibi debetur, *d. l. 9. v. quamvis ff. h. t.* propterea, quia cessaret ratio propter quam solidum ipsi *in pr. d. l.* assignatum fuit. Sicque quod per actionem ille Creditor consequi aut servare non potest, per compensationem servat. Quod diligenter *ex d. l. 9. pr.* notandum esse monet Borch. *d. c. 4. n. 23.*

L.

Si filius conveniatur ex suo contractu, non poterit compensare, quod patri debetur, nisi unus sit contractus, veluti societatis, unde & Patri debetur, & filius debet; tunc enim filius compensabit quod patri debetur, modò caveat de rato *d. l. 9. §. 1. ff. h. t.* Tynd. *art. 7. num. 8.* Sebast. Med. *p. 2. q. 5. num. 3.* Zang. *d. c. 8. num. 59.*

LI.

His ergo personis exceptis, de reliquis minimè dubitatur, quin sine discrimine compensare possint, quacunq; etiam actione aut iudicio se invicem conveniant: sive personali, quod olim tantum obtinuit, *l. fin. in pr. C. h. t. ibid.* Donell. *num. 1. §. 16. comm. c. 15. lit. Gg.*

LII.

Eoq; vel *bonæ fidei*: in quo olim compensationi ipso iure tantum locus erat, *d. §. in bonæ fidei 30. v. in quo & illud, ubi Donell. n. 4. & Vult. n. 2. hic de Action. d. l. 10. in pr. ff. h. t.* Borch. *h. tr. c. 3. n. 4.*

LIII.

Vel *stricti juris*: de quo cum inter prudentes contentio erat, utrum ipso iure an per exceptionem compensatio admitenda esset, in illam partem *Prisco, Neratio & Sexto Pomponio* inclinantibus *l. verum est 4. ff. h. t.* Coppel. *d. c. 7. n. 4.*

LIV.

Rescriptum D. Marci Antonini oppositâ doli mali exceptione eam in strictis iudiciis induxit *d. §. 30. v. sed & in strictis* Borch. *d. c. 3. n. 4. & 5.*

Donec

L V.

Donec tandem Neratii & Pomponii sententia, compensationem nempe ubique, hoc est, non tantum in bonæ fidei, sed etiam strictis judiciis, ipso jure admittendam esse, inter omnes prudentes placeret, *d. l. posteaquam 21. h. t. Borch. d. c. 3. num. 8.*

L VI.

Constitutiones quoq; D. Alexand. Severi eandem confirmarent, *l. 11. ff. h. t. l. 4. l. 6. C. eod.* & Justinianus deniq; etiam suâ constitutione eandem approbaret *in l. fin. C. eod.* Borch. *d. c. 3. n. 11.* Vult. *ad d. § 30. n. 5. Inst. de Action.*

L VII.

Sive etiam *reali actione* aut *judicio* se in vicem conveniant; quod quidem antea non obtinuit, ut dictum & probatum *in th. 61. in fin.* Hodiè tamen ab *Imp. Justiniano* noviter introductum est, omnibus actionibus realibus compensationem objici posse, permittente, *d. l. fin. C. eod. in pr. ibiq;* Donell. *n. 1. d. §. 30. v. sed nostra ibiq;* Vultei. *n. 5. § 6. I. de action.*

L VIII.

Nihil etiam interest sive sit *actio universalis* sive *Particularis*, puta in legatis & fideicommissis *l. 5. C. h. t.* Sebast. Med. *p. 1. quest. 31. § 32.* Tynd. *art. 5. n. 29.* Tamen si hoc casu compensationem impropriad esse velit, *gl. in l. unum 67. §. sed si uno. 3. verb. nam que ratio. de legat. 2.* Sebast. Med. *p. 1. 31. num. 1.* quod tamen non probo, per ea quæ dicentur *in th. 63. § seq.*

L IX.

Sive sit *ex contractu* vel *quasi*, *ex maleficio* vel *quasi maleficio*, *l. si ambo. 10. §. quotias 2. ff. h. t.* sive quid præstandum sit officio judicis, sive extra ordinem sine figura judicii procedatur, vel coram arbitrio aut arbitratore agatur, *l. quod in diem. 7. §. 1. l. 16. §. 1. l. 15. ff. h. t.* Sebast. Med. *p. 2. quest. 26.* Tynd. *art. 101. effect. 24.* Zang. *d. c. 8. n. 82.*

L X.

Non tamen ipsæ actiones inter se compensantur, sed id quod iisdem actionibus petitur, *arg. l. fin. in pr. in verb. ex omnibus actionibus C. h. t.* Zang. *d. c. 8. n. 121.*

B 3

Quod

LXI.

Quod quidem quo ad personales, in quibus species non petitur, expeditum est; quo ad reales verò & personales, in quibus species & corpora vertuntur, non quantitates, hoc non ita intelligendum est, quasi ipsa res in actionem deducenda, in compensationem veniat, quod sequentibus adversaretur.

LXII.

Sed cum micâ salis; si re fortè diminutâ, corruptâ, amissâ, dolo detentâ *l. 1. §. non tantum. 15. & §. seq. ff. deposit. l. qui restitueret. 68. ff. de R. V. ad æstimationem veram vel ejus quod interest, & ita ad quantitatem, quæ sola compensationis materia est, l. 10. §. 2. h. t. deveniendum sit l. 7. §. ob donationes 5. ff. solut matrim. Tynd. art. 4. n. 28. Zang. d. c. 8. n. 114.*

LXIII.

Sic etiam in delictis, ut ut maximè dicatur mutuâ compensatione tolli *l. 39. ff. solut. matr.* Tamen id non potest intelligi de actione, *ex th. 60.* neque etiam de facto ipso; cum facti ad factum propriè nulla sit compensatio, *Sebast. Med. p. 1. q. 44. & supra th. 3.* sed de eo, quod ex illo delicto, pecuniariter agendo, petitur *d. l. 10. §. 2. ff. h. t. Zang. de c. 8. n. 88. 89. & 121.*

LXIV.

A Generali tamen hac assertione, quod in omnibus actionibus personalibus & realibus compensetur, excipitur sola actio *depositi. l. fin. C. h. t. d. §. 30. Inst. de action. l. pen. C. deposit. cap. fin. §. sanè extra deposit.* *Donell. 16. comm. c. 15. lit. I. ibid.* *Amplis. D. Hillig. Præcept. plurimùm observand. in notis, Borch. d. c. 4. n. 27. Sebast. Med. p. 1. q. 19. n. 1. Zang. d. c. 8. n. 116. seqq. Coppel. d. c. 7. n. 12. seqq.*

LXV.

Sive res ipsa, sive æstimatio rei, in considerationem veniat, *Clariss. Dn. Præses Præceptor singulariter colendus dec. 9. q. 8. circa fin.* Siquidem præter æstimationem in illâ actione etiam est infamia *l. 1. l. 6. §. illud. 7. ff. de his qui not. inf. Treut. p. 1. d. 26. th. ult. lit. F.* quam compensationi hoc casu unicè obstare puto.

Ut

LXVI.

Ut & actio momenti, vel de momentanea possessione, five spoli d. §. 30. in fin. 7. de action. d. l. fin. inf. C. h. t. arg. l. fin. C. si de moment. possess. appell. Donell. d. c. 15. lit. K. ibiq; D. D. Hiliger. Zang. d. c. 8. n. 19.

LXVII.

Quibus, an etiam actio Commodati, ut & rei uxoriæ vel dotis repetendæ, annumerari possit, acriter controvertunt Dd? Nobis negativa placet, non tantum in illâ per l. 18. §. fin. ff. commod. arg. l. fin. in pr. C. de compens. Consultis. Dn. Præses a dec. 9. q. 8. Coppel. d. c. 7. n. 21. seqq.

LXVIII.

Sed etiam in hâc, facit l. 15. §. 1. si cum dotem. 22. §. si pater. 3. l. si constante 24. §. si uxor. 6. l. in his rebus 66. §. 1. ff. solut. matr. Treut. p. 1. d. sp. 25. th. 7. lit. G. Coras. ad l. qui liberos 19. n. 123. p. 728. ff. de rit. nupt.

LXIX.

Hactenus de causâ efficiente vel potius conservante compensationis, nempe personis, quæ illam objicere possunt, & quibus in judiciis locum habeat, satis superque dictum est, pergendum jam ad reliquas causas.

LXX.

MATERIA circa quam seu objectum compensationis est *debitum & creditum l. 1. h. t.*

LXXI.

Quamvis verò debitum & creditum in jure interdum propriissimè pro pecunia mutuò data & accepta l. 10. ibiq; Gœdd. num. 5. ff. de V. S. Interdum propriè pro eo, quod ex quovis contractu debetur. d. l. creditores cum duab. seqq. ll. de V. S. l. 1. de reb. cred. usurpatum inveniatur.

LXXII.

Tamen hoc in loco JC. Modest. nosq; cum ipso, in communi & latissimâ significatione per debitum & creditum intelligimus, non tantum quod ex mutuo, aut quocunq; alio contractu,

Qu, sed etiam quod ex maleficio aut quasi maleficio imò etiam quod ex reali actione adeoq; ex dominio debetur, *l. ut si cui pr. ff. de V.S. l. 10. §. 2. ff. h. t. Borch. d. c. 1. n. 10.*

LXXIII.

Ut autem compensatio in debito & credito locum habeat, requiritur: *I. ut & juri civili simili modo sit cognitum & ab eo secundum quid approbatum*, ita ut si non actionem tamen exceptionem pariat. *l. 6. h. t. Excellentiss. Dn. Præses, Tract. 1. de contract. cap. 2. §. 9. n. 10.*

LXXIV.

Si enim Creditor possit agere ex obligatione, fortè civili, vel naturali & civili simul, non potest compensare, qui debitum naturale tantum & merum habet, *Dornsparg. de probat. & Except. lib. 2 p. 2. c. 7. p. 525.* quia illius debiti nullus planè effectus, neq; retentionis per errorem soluti, neq; Exceptionis aut ullius alius est. *Clariss. Dn. Præses d. §. 9. n. 15.*

LXXV.

II. Ut sit proprium, non alienum; quod enim ab alio debetur, in compensationem non venit *l. 9. C. h. t. Tynd. ant. 7. n. 2. Borch. c. 4. n. 18. & seqq. Zang. d. c. 8. n. 69.*

LXXVI.

Sic actor non potest cogi compensare, quod alii, quàm reo convento debet, etiamsi tertius ille actoris Creditor id velit, aut coheres rei conventi sit. *l. 18. §. 1. d. 16. in pr. ff. h. t. Zang d. c. 8. n. 47. & seq. Coppel. c. 4. n. 2.*

LXXVII.

Sic procurator fisci non potest cogi, ut compenset. id, quod alia quàm sua statio debet, aut ei debetur, ne scilicet confusio officiorum fiat. *l. 1. h. t. Donell. d. c. 15. lit. R. ibiq; Hillig. in not. ad. lit. S.*

LXXVIII.

III. Ut sit presens & purum, nec adjectione diei aut conditionis suspensum, *l. quod in diem. 7. in pr. ff. h. t. Ampliss. Præceptor Dn. D. Arum. Exerc. 16. th. 8. Coppel. d. c. 4. n. 38. seq.*

LXXIX.

Nisi dies illa humanitatis causa ad solvendum judicatis

ratis sit indulta, *l. cum militi 16. §. cum intra. d. ff. h. t. Zang. d. c. 8. num. 80.*

LXXX.

Aut in favorem creditoris adjecta: hæc enim cum obligationem faciat puram, & actionem pariat firmam & efficacem, Consultis. Dn. Præses *d. Tr. 1. de contract. cap. 7. §. 34. n. 9.* compensationem nullo modo impedit, per ea, quæ habet Zang. *d. c. 8. num. 78.*

LXXXI.

IV. *Ut sit certum non alternativum, l. si debeas 22. h. t. Donell. d. c. 15. lit. X. ibiq.* Amplifs. D. Hillig. Præceptor honorandus. Borch. *d. c. 4. n. 3. Coppel. d. c. 5. n. 11. & seq.*

LXXXII.

V. *Ut sit firmum, quod exceptione peremptoriâ & perpetuâ elidi non possit l. quacumq. 14. h. t. Coppel. d. c. 6. n. 17. seq.*

LXXXIII.

Et quidem de debito, jure civili tantum cognito, nullum est dubium, quin ejusmodi exceptione peremptum, compensationem enervet, Donell. *16. c. 15. lit. Z.* ubi verò debitum subest naturale, quod hujusmodi exceptione elidi non potest, aliud dicendum est, per ea quæ dicta sunt *th. 72.*

LXXXIV.

Sic filiusfam. mecum ex firma obligatione agens, si ipsi objiciam compensationem ex mutuo, exceptione SCti Macedoniani se tueri non potest. Ut ut enim debitum Civile per hanc exceptionem elidatur; manet tamen debitum naturale à jure Civili approbatum *l. 7. §. fin. ff. ad SC. Maced. l. 40 pr. condit. indeb.* in quo compensationem locum habere diximus. per *l. 6. ff. h. t. in d. th. 72. late Borch. d. c. 1. n. 28. & seq.*

LXXXV.

VI. *Ut sit liquidum l. fin. §. ita tamen 1. C. h. t. Donell. d. c. 15. lit. C. c. ibiq.* Hillig. *in not. Consult. D. Arum. Præceptor æternum honorandus d. Exerc. 16. th. 9. Zang. d. c. 8. n. 94. & seqq.* de quo requisito tamen postea pluribus, ubi ad formam perventum, agemus.

LXXXVI.

VII. *Ut sit privatam non ex causâ publicâ profectum,*
C quorum

quorum septem referuntur in l. 46. §. 5. de jur. fisci. & in l. 3. C. h. t. Coppel. d. c. 4. n. 21.

LXXXVII.

Suntq; debita, quæ (1) ex Calendario (2) aut vectigalium (3) frumenti aut olei publici (4) tributorum (5) alimentorum (6) pecuniæ statutis temporibus fervientis (7) fideicommissi deniq; nomine, fisco aut civitati debentur, de quib. Donell. d. c. 15. lit. L. & seqq. ibiq; Amplifs. D. Hilliger in notis. Zang. d. c. 8. n. 20. & seqq. Coppel. d. n. 21.

LXXXVIII.

Quò etiam referri possunt decimæ sacerdotibus debitæ, quæ omnem cõpensationem effugiunt, per gl. in cap. decima. 66. caus. 16. q. 1. arg. c. causam. 7. in fin. extra de prescript. Dornsparg. Tr. de prob. & except. lib. 2. p. 2. c. 7. p. 522. præsertim cum nullus Laicus harum rerum petitionem & exactiõnem vel jure vel cõcessione Episcopi habere possit, c. pervenit. 1. q. 2. c. decimas. 16. q. 7. Joach. Stephan. in Inst. jur. canon. l. 2. c. 6. n. 1. & seqq.

LXXXIX.

Sic etiam pecuniæ, quam fortè mercator Studioso reddendam suscepit, compensationem fieri non posse tradit, Rebuff. privil. Schol. 168. arg. l. 3. verb. alimentorum C. h. t. Suffragante Amplifs. D. D. Hillig. in Donell. Enuch. d. c. 15. lit. Q. in not.

XC.

In utroq; autem credito sc. & debito utrum præcisè requiratur res fungibiles, quæ pondere, numero & mensurâ constant, an verò possit & speciei ad speciem, vel quantitatis & speciei inter se esse compensatio, Dd. inter se agitant?

XCI.

Et quanquam posteriorem sententiam dudum secuti sint plerique, verior tamen est prior, quam defendit Donell. d. c. 15. lit. T. ibiq; Hillig. in not. Borch. d. c. 2. n. 14. & seqq; Zang. d. c. 8. n. 108. seqq. Dornsparg. d. c. 7. p. 525. & alii.

XCII.

VIII. Et ultimò itaq; requiritur, ut debitum & creditum consistat in pecunia. l. 11. l. 12. l. 15. l. 17. l. 19. l. 20. l. pen. ff. h. t. l. 4. C. eod. & quantitate. l. 4. in fin. l. 10. vers. simili modo l. 11. ff. h. t. sive, quod idem est, in re, quæ pondere, numero & mensurâ constat, &c.

fiat, & in suo genere functionem recipit, *l. 2. §. 1. & 2. de reb. cred.*
l. talis Scriptura. 30. pr. de legat. 1. Borch. d. c. 2. n. 8.

XCIII.

Speciebus enim inter se, & cum quantitibus; nisi ipsis speciebus peremptis aut extinctis, ad illarum æstimationem deveniendum sit, *de qua supr. th. 62.* planè ignota est compensatio. *l. si convenerit. 18. in fin. pr. ff. de pignor. act. l. quod dicitur. 5. de Impens. in reb. dot. alib. fact. Amplis. Dn. Arum. d. Exert. 16. th. 10.*

XCIV.

Tùm quia in illas cadit affectio. *l. 3. de in litem jur. nec aliud pro alio invito creditore solvi potest l. 2. §. 1. in fin. ff. de reb. cred.* Tùm quia nemo cogitur, ut rem suam vendat invitus. *l. invitum. C. de contrab. empt. l. nec emere. 16. C. de jure delib.*

XC V.

Quod tamen omninò fieret, si dissentientium tanti fundamenta essent ponderis, ut illarum compensationem nobis obtrudere possent, de quibus sub disquisitione videbimus.

XCVI.

Unde quæritur: si ex una parte quantitas debeatur tanquam species, veluti centum, quæ in arca habeo, an compensari possit cum quantitate simpliciter debitâ, ex altera parte? Negat quidem hoc Fachin. *1. contr. 6. & Treut. d. disp. 25. th. 8. lit. b.* Coppell. *d. c. 5. n. 3.*

XC VII.

Nobis tamen affirmativa verior videtur, nisi creditoris inter sit, illa ipsa corpora, & non alia accipere. *per l. 3. ff. de in litem jur. & l. 3. ff. b. t. Amplis. Dn. Hillig. Donell. Enucl. d. c. 15. lit. r. in not.*

XC VIII.

Quærere, an in feudo compensatio locum habeat? supervacaneum esse puto, cum Rittersh. *lib. 2. partit. feud. cap. 3. q. ult. pag. 354.* cum illud non in quantitate aut pecuniâ, sed re immobili, aut huic æquipollenti consistat, *c. 1. §. sciendum ibiq. Feudist. de feud. cognit. 2. F. 1.* Quamvis dissentiat quo ad prius Gothofr. Anton. *disp. feud. 9. th. 5. lit. C.*

XCIX.

Non tamen, an credito jurato compensatio objici posset,

set, inutiliter quæritur? Quod quidem vulgò Dd. negant relati
à Dornsparg. *d.c. 7. p. 524.* Nobis tamen arridet sententia eor-
um, qui juramentum huic exceptioni non obstare affirmant,
l. 1. l. 2. l. 10. §. 1. ff. b. t. l. 4. C. eod. & per rationem in l. 3. ff. b. t. adde
l. 4. qui pot. in pign. Treut. d. disp. 25. th. 11. lit. a. Coppel. d. c. 4. n. 26.
seqq. Fachin. 1. contr. 7. Zang. d. c. 8. n. 14.

C.

Tantum de materiâ circa quam seu objecto compensa-
tionis: FORMA illius consistit in verb. INTER SE *d. l. 1.* qui-
bus innui compensationem *ipso jure* fieri, dictum *supr. th. 9.*
Coppel. d. Tr. c. 1. in fin.

CI.

Quamvis verò hæc verba *ipso jure fieri* sint ambigua &
interdum opponantur juri prætorio, interdum judicio; tamen
in præsentem expeditissimum videtur, ut compensatio dicatur
fieri ipso jure, quæ fit vi & potestate ipsius legis. *l. 4. ibi, ipso jure*
in pr. & fin. l. 10. pr. ibi ipso jure l. 21. ff. b. t. l. 4. ibi ipso jure, l. fin. pr.
ibi ipso jure C. eod. §. in bonæ fidei 30. vers. sed nostra, in verb. ipso ju-
re. Inst. de action.

CII.

Adeò ut inde à primo tempore concurrentium hinc in-
de debitorum, etiam sine hominis aliquo facto, utrinq; libe-
ratio contingat, pro modo videlicet quantitatum concurren-
tium, quas in compensationem venire dictum est. *l. si constat 4.*
C. b. t. Tynd. art. 10. effect. 1. & 11. Donell. d. c. 15. lit. II. & lit. FF.
ibiq; Hillig. in not. Borch. d. c. 3. n. 3. Wesemb. in π . ff. b. t. n. 8.

CIII.

Quæ omnia vera sunt quoad inducendam compensatio-
nem; ad executionem verò ejusdem, & ut effectus ille plene
sequatur, requiritur ulterius ut hominis factum accedat; ipsa
inquam objectio sive allegatio partis compensare volentis *l. 2.*
ib. paratus est compensare & ibi petentem submovebit l. 5. ib. velit
compensare l. 10. §. quoties 2. ibi. Compensationem opponere potest
& §. fin. ibi. poterit objici compensatio l. 13. l. pen. ff. b. t. Amplifs.
Dñn. Præceptores D. Arumæus disp. π . 12. th. 8. & Exerc. 16. th. 6.
& D. D. Hillig. Wesemb. dd. locis Coppel. d. c. 8. n. 12. seqq.

CIV.

Quæ objectio olim in judiciis non bonæ fidei tantum
fieret

fieri potuit; hodiè verò in omnibus, ut dictum supra *th. 5. & seqq.* etiam in quacunq; judiciì parte, tam ante quam post litis contestationem *l. 8 ff. b. t. Coppel. d. c. 4. n. 25.*

CV.

Quin imò non tantùm in iudicio illa allegatio fieri potest, verùm etiam post rem iudicatam: siquidem istâ ratione sententia semel dicta potius conservatur, quam impugnatur, cum compensare sit solvere *l. 4 ff. qui pot. in pig. Dornsp. d. c. 7. in fin. p. 526.*

CVI.

Et quod magis est, opponi potest etiam in executione rei iudicatæ. *l. ex causa 2. C. h. t. l. 16. §. cum intra 1. ff. b. t. l. 7. ff. de re iudicata: Donell. d. c. 15. lit. ii. ibiq; Hilliger in not.*

CVII.

Hæc verò omnia, quæ hætenus dicta sunt, tum demum obtinent, cum debitum, quod obijcitur, est liquidum, *l. fin. §. 1. C. h. t.* & altiorem indaginem sive probationem non requirit *d. §. 30. Inst. de action.* aliàs non esset compensandum; sed in aliud iudicium reservandum, *d. l. fin. §. 1. in fin. ibi alii iudicio reservent. C. h. t. Coppel. d. c. 8. n. 18.*

CVIII.

Quanquam in debito naturali, quod nullâ actione peti potest, adeoq; frustra in aliud iudicium reservaretur, aliud fortassis dicendum sit, quod nempe etiam post jus actoris liquidatum illius, quamvis illiquidi objectio fieri possit. *arg. d. l. fin. §. 1. in fin. C. h. t. junct. l. 6. ff. eod. de quo in ipso conflictu videbimus.*

CIX.

Sic etiam, licet debiti illiquidi ipso jure compensatio nulla sit, esse tamen aliquam per exceptionem, modò in lite contestandâ, & postea, sed priusquã adversarius probaverit sibi deberi, opponatur, rationi juris non in conveniens esse puto, *arg. d. l. fin. §. 1. verb. satis enim miserabile est. C. h. t. facit l. 1. C. de probat. junct. l. 4. C. h. t.* cujus exceptionis exemplum ponit *Coppel. d. c. 8. n. 29. Donell. d. c. 15. lit. BB. ibiq; rationes & alios autores allegat Ampliss. Præceptor D. D. Hilliger in not. Zang. d. c. 8. n. 101. seqq.*

CX.

Compensatione itaq; à reo convento, vel per simplicem allegationem,

gationem, si causa liquida sit; vel per exceptionis contestationem, si causa sit illiquida, opposita, iudicis officium, esse, eam concurrentibus aliis requisitis, admittere concludimus *per l. quod in diem §. 1. l. 9. §. 1. l. 16. §. 1. l. 22. b. t. cum Tynd. art. 9. n. 50. §. 1. & 54. Coppel. d. tr. c. 9. n. 1.*

CXI.

Si verò iudex illius rationem non habeat; quia fortè illiquida, specierum inter se, aut cum quantitate, vel dubia, aut non legitimo tempore opposita; nihilominus salva manet petitio, nec rei iudicatae exceptio de novo petenti objici potest. *d. l. 7. §. 1. b. t. l. 2. §. utrum. de administr. rer. ad civit. pertin. Sebast. Med p. 2. q. 19. n. 6.*

CXII.

Nisi causam compensationis planè rejecerit, tanquam apertè falsam sive jure improbatam *d. l. 7. §. 1. in fin. b. t. compensaturus quoq; in sententia iudicis acquieverit l. 1. §. præterea de contr. tutel. act.* Tunc enim reo convento exceptio rei iudicatae obstabit *d. l. 7. §. fin. Coppel. d. c. 9. n. 7. seqq.* Tantùm etiam de forma.

CXIII.

FINIS compensationis Internus est, ut lites minuantur, & per pauca expediatur, quod aliàs per plura fieri deberet. Externus, ut potius non solvamus, quàm solutum repetamus *l. 3. ff. b. t.*

CXIV.

EFFECTUS illius est, ut pro solutione usq; ad concurrentem quantitatem habeatur, & retrò ex eo tempore, quo pecunia invicem deberi cœpit, liberationem ipso jure factam demonstret. *l. 4. & seq. C. b. t. l. 4. qui potior in pignor. l. 19. de liber. causal. 15. ratam rem haber. Zang. d. c. 8. n. 124. Coppel. d. Tract. cap. 10. n. 1. seqq.*

CXV.

Non tantùm quo ad debitum principale, sed omnia etiam accessoria, *l. in omnib. 43. de solut. l. eos. 26. pr. in fin. C. de usur. l. cum principalis 178. l. 129. §. 1. de R. I.* si quidem compendiaris est solutio, quæ brevi manu fit, quodque ipso facto alioquin præstat solutio realis ac specialis; id præstat hæc jure, non
figmento

figmento solo, uti fit in acceptilatione, sed rei veritate etiam,
quæ subest in brevi manu *l. 55. de solut. l. 9. §. 5. de acquir. dom. l. 15. de reb. cred. Donell. d. c. 15. lit. EE.*

CXVI.

Sic compensatio ab usuris, quamvis alter sine usuris debuerit, reum conventum liberat *l. cum alter. 11. l. seq. h. t. l. 4. C. eod. l. 7. C. de solut. Coppel. d. c. 5. n. 13.* ut & à pignoris nexu per actionem pignoratitiam *l. 12. C. h. t. d. l. 43. de solut.* sic fidejussori prodest *l. 4. l. 5. hic vid. th. 40.* sic procuratorem absentis hac utentem satisfactione de rato exonerat, *d. l. 21. ff. h. t.*

CXVII.

Unde & illud dependet, quod ex errore facti compensatione omisâ, solum indistinctè condici, & tanquam indebitum repeti possit. *l. si ambo 10. §. 1. ff. h. t. Coppel. d. c. 10. num. 6. seqq.*

CXVIII.

Tandem, cum compensatio ipso jure fiat, adeoque liberatio retrò ex die currentium debitorum contingat, ut dictum *in th. 114.* non immeritò quæritur, an etiam reus si in judicio compensationem non objecerit, postea id, quod sibi debetur, cum effectu petere possit? quod affirmamus *per. l. 1. §. 4. ff. de contrar. tut. act. l. 7. §. 1. ff. h. t. arg. l. 2. ibi paratus compensare & l. 5. ibi: velit compensare ff. h. t. addantur ea quæ dicta sunt th. 103.*

Et tantùm de compensationis materia pro ingenii tenuitate exercitii gratiâ dissertasse sufficiat.



Ad præstantissimum Dn. ELIAM REIN-
BOLDUM de Compensationibus
disputantem.

Quòd studio Reinbolde tuo Compensa recepit
Lucentem faculam, tibi compensabit abunde
Sacra Themis, quando te sede losabit honoris
Adjiciens grandes titulos & præmia larga.
Hoc voveo ex animo, votis Deus annuet æquus.

amici affectus ergò scribebat

Joh. Gerhard D.

Dum REINBOLDE vagi pensare volumina juris
Pergis, & ad Libram sub ratione vocas.
Grata Themis justos tibi compensabit honores:
Est etenim tuus hic dignus honore labor.

amoris intimi ergò

Valentinus Riemer D. & P.

Nam quâ fronte meos tibi phaleucos
Poscenti negitare ~~sustit~~ sustinerem?
Reinbolde ô Themidos sacrate cultor!
Immo si negitare sustinerem,
Non amor negitare sustineret,
Qui nos arctius arctiusq; junctos
Æterno voluit coire vinclo.

Quare habe tibi quale quale nostri
Ardoris monumen vel indicinam
Paucos versiculos & impolitos.
Ac quod jam facis acriore cursu
Grassare ad penitas Themistos arces.

Sic quondam patriæ decus saluâre,
Et gentis micidum tuæ futurum
Sidus, ô Themidos sacrate cultor!

Hoc amoris magmen ita sacrat

Georgius Himmelius Ostenbergâ-Thuringus.

ULB Halle

3


006 608 973




Mus R+M

V077








8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



quod arceat!

1619, 4

4

URIDICA

DE SENSA-BUS.

Summi & Amplissimi Jcto-
rissima Salana,

IDIO

& Excellentissimi

NICOLAUS RIMMERI P. FAULTORIS

observandi,

amini subjicit

in spacio - Marchi-

Martii.

torum,

Æ

INMANNI.

OC. XIX,